UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Argvmentvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

Visual Library

ARGVMENTVM.

Poſt purpuratæ meretricis, ſiue Babylonis damnationem commemoratur Beatorum de eius damnatione lætitia, gaudium, imo & gratulatio ſedenti ſuper thronum, quod tandem de impura meretrice pœnas ſumpſerit. Deinde Chriſti ad ſuos animandos, ac tuendos, Antichriſtúmque, atque eius ſectatores perdendos aduentus cum præcellenti gloria, & regali ſplendore deſcribitur.

CAPVT DECIMVMNONVM.

POST hæc audiui vocem turbarum multarum in cœlo dicentium: Halleluia: ſalus, & gloria, & virtus Deo noſtro eſt: quia vera, & iuſta iudicia ſunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in proſtitutione ſua, & vindicauit ſãguinem ſeruorum ſuorũ de manibus eius. Et iterum dixerunt: Halleluia. Et fumus eius aſcẽdit in ſecula ſeculorum. Et ceciderunt ſeniores viginti quatuor, & quatuor animalia, & adorauerunt Deum ſedentem ſuper thronum, dicentes: Amen, Halleluia. Et vox de throno exiuit, dicens: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſerui eius, & qui timetis eum puſilli, & magni. Et audiui quaſi vocem turbæ magnæ, & ſicut vocem aquarum multarum, & ſicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Halleluia: quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotens. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit ſe. Et datum eſt illi, vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido. Byſſinum enim iuſtificationes ſunt ſanctorum. Et dixit mihi: Scribe: Beati, qui ad cænam nuptiarum Agni vocati ſunt. Et dixit mihi: Hæc verba Dei vera ſunt. Et cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum. Et dixit mihi: Vide, ne feceris, conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimoniũ Ieſu: Deum adora. Teſtimonium enim Ieſu eſt ſpiritus prophetiæ. Et vidi cœlum apertum: & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur Fidelis, & verax, & cum iuſtitia iudicat, & pugnat. Oculi autem eius ſicut flamma ignis: & in capite eius diademata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit, niſi ipſe. Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine: & vocatur nomen eius Verbum Dei. Et exercitus, qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo, & mundo. Et de ore eius procedit gladius ex vtraque